



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 63. Mahometes II. Filius ejus Successor

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



## §. LXIII.

Sæcul. XV.  
A. C. 1451.*Mahometes II. filius ejus Successor.*

Amurati ex omnibus, quos pluribus ex uxoribus susceperat, filiis unus superstes fuit Mahometes II. eo tempore in Asia degens, annos natus viginti & unum, qui proin Patri suo successus est. Primam lucem aspexit die vigesima quarta Martii anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo. Volunt nonnulli eum natum ex Milizza Despotis Serviaë filia, quam, etsi Religione Christianam, Amurates immodico amore deperibat. Nominabatur Mahometes *Sagredo in Mahom. II.* Europæ terror; plusquam enim vatiniano in Christianos fervebat odio, omnesque infideles ad hanc usque diem Regio diademate insignitos continua felicitate longe antecellebat. Ipsi naturæ beneficio nactus erat corpus virium robore præstantissimum, atque ad omnes belli labores constanter perferendos natum, quod & toto vitæ suæ cursu continuis præliis exercuit. Princeps erat indole summe fervidus, ac naturæ vitio vehemens, & ferox, judicio tamen acer, subtilis, astutus, vaser, & simulare doctus, vastoque ingenio præditus, cetera temerarius, & ad quævis audenda promptus, necnon insatiabili gloriæ cupiditate ardens.



Sæcul. XV. A.C. 1451. dens. Non tamen soli, quantumcunque eximiae animi fortitudini tot victoriarum gloriam debebat, sed vel maxime suam etiam prudentia ac temporum, rerumque experientia ad tam felices successus concurrebant, quorum adminiculo duo evertit imperia, duodecim occupavit Regna, & ducentas urbes & amplius Christianis eripuit.

## §. LXIV.

*Vitia & virtutes Mahometis.*

Tanta præstabat scientia, qua major in Muselmano, qui sibi omne literarum genus interdictum arbitratur, jure expectari haud poterat. Præter patriam alias quinque callebat linguas, nempe Græcam, Latinam, Arabicam, Chaldaicam, & Persicam. Haud modice tinctus erat in Mathematicis, astronomicisque scientiis, plus ceteris tamen eminebat in disciplina militari, quam non solum studio, sed & experientia sibi comparaverat. Assidua lectione veterum Heroum, ac illustrium virorum gesta perdidit, quorum ope ad superandam eorum gloriam accendebatur. Verum tot, tamque præclaræ ingenii dotes haud meliorem, magisque probum reddere poterant; infanus enim erat felicitatis suæ cultor, nec præter fortunam aliam agnoscebat divini-